

16463.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,
DE
VIRTUTE ET VI MEDICA
LEPIDII RUDERALIS
LINN.

IN
MORBIS TUM INTERNIS, TUM
EXTERNIS ADHIBITI,

QUAM,
CONSENTIENTE AMPLISSIMO MEDI-
CORUM ORDINE

IN
UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI,

PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE ET ARTIS
OBSTETRICIAE,

PUBLICE DEFENDE
AUCTOR,
FRIDERICUS REINOLDUS
DE GLASER,
FELLINO - LIVONUS.



DORPATI LIVONORUM,
LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.
MDCCCXVI.

VIRO. ILLUSTRISSIMO. EXCELLENTISSIMO
DOCTISSIMO

JACOBO. BARONI. DE. WYLIE

SACRI. RUTHENIARUM. IMPERII. NOBILI
AUGUSTO. OMNIUM. RUSSIARUM. IMPERATORI. A
CONSILIIS. STATUS. ACTUALIBUS. S. M. ARCHI-
CHIRIATRO. MEDICINAE. ET. CHIRURGIAE
DOCTORI. SUMMO. RERUM. MEDICARUM
IN. UNIVERSO. EXERCITU. INSPETORI
CONSILII. MEDICI. ET. ACADE-
MIAE. MEDICO - CHIRURGI-
CAE. DIRECTORI
CONCILII. MINISTERII. PUBLICAE. INSTITUTIONIS
CAESAREI. POLITIAE. COLLEGII. MEDICO-
PHILANTHROPICI. SELECTI. ACADEMIAE
SCIENTIARUM. PETROPOLITANAE. SO-
CIIETATUM. LITERAR. MOSQUENSIS
VILNENSIS. EDIMBURGENSIS
ALIARUMQUE. SODALI
ORDINUM. STAE. ANNAE. PRIMAE. CLASSIS. STI
VLADIMIRI. GRANDIORIS. CRUCIS. STI. LEO-
POLDI. LEGIONIS. HONORARIAE. GALLI-
CAE. AQUILAE. RUBRAE. BAVARIEN-
SIS. WYRTEMBERGENSIS. ALIO-
RUM. EQUITI

Imprimatur:

ea conditione, ut, simulac typis excusa fuerit, antequam
distribuatur, septem exemplaria ei Collegio, cui cen-
sura librorum mandata est, mittantur.

D. Martinus Ernestus Styx,
Censor.

D 17817

V I R O

UT. MUNERUM. GRAVITATE. HONORUM-
QUE. DIGNITATE

ITA, ET

EXIMIIS, INGENII. ANIMIQUE, VIRTUTIBUS

INSIGNI

DE. RUTHENIARUM. IMPERIO
EGREGIE. MERITO

STUDIORUM. ACADEMICORUM. HOC
QUALECUNQUE. SPECIMEN

OMNI. QUA. PAR. EST. OBSERVANTIA
AC PIETATE

DAT

DICAT

DEDICAT

DEVOTISSIMUS. AUCTOR
F. R. DE GLASER.

*Vir Illustrissime, Excellentissime,
Doctissime, Fautor Grauiissime,
Gratiosissime,*

Nomini Tuo Illustrissimo tenues hasce nuncupare pagellas vix ac ne vix quidem ausus fuisset, nisi in votis mihi esset ardentissimis, ut herbae illi indigenae, quam de meliori commendandam suscepi, medicamentis efficacissimis adnumerandae contingat usus, quam pro medicorum nostratium consuetudine, solemnior. Quis enim rei praestan

tis in patriae salutem commendandae, *Te*,
Vir Illustrissime, majori pollet tum peritiâ,
tum auctoritate?

Fidem sane facit uberrimam, quam *Tu*
primus dediſti Rutheniae, *Pharmacopœia* illa
castrensis, medicorum et animo et ore me-
rito celebratae, ut cujus beneficio varia vis
medicae insignioris remedia indigena, con-

suetudinem nacta, abundantius adjuuare coe-
pissent ciuium salutem.

Si tenues, quas egomet ipse pronus nun-
cupo, naeuis forte obnoxias, deprehenderis
hasce pagellas, memineris quaeso, *Tua* quae
est indulgentia, tironem me esse medicum,
at id tamen acturum, ut studio indefesso,
animoque ad salutarem, cui soli ecquidem

C. D.

P r o e m i u m.

vacare gestio, artem adplicato, eo perueniam,
ut haud indignus dicar Tuâ benevolentia
Tuoque patrocinio,

Illustrissimi nominis Tui

Dabam *Fellini* Liunorum,

Id. Febr. A. S. C1810CCGXVI.

Cultor deuotissimus,

Fridericus Reinoldus de Glaser,
Medicinae et artis obstetriciae Doctor.

*Medicinae in scientiae loco numeratae quoad
extrema nondum accessit opera, necdum arti
medendi morbis ad suum peruenire finem con-
tigit, utriusque adhuc experientia opus esse vi-
detur, rerum magistrâ. Et illi quidem, ut
obscuriora ipsius capita per dies magis ma-
gisque collustrentur; huic, ut, ubicunque scien-*

tiae lumina adhuc defuerint, methodo haud anticipiti morbis mederi possis.

Quam quidem ob rem sedularum animadversionum circa morbos quoscunque factarum commentarii haud parum conducunt; nec spernendum studium eorum, quibus medicaminum, quorum usui cessisse viderint aegritudines, memoriae mandare atque in medicorum annales referre aut visum est, aut etiamnum videtur.

Quin etiam medici sententia, lata de morbi, quem auerruncandum susceperat, causis veràque indole et de remediorum a se adhibitorum fruge quâcunque, digna est, cui aliquantulum indulgeant morosi iudices, licet a

suis ipsorum, quaecunque fuerint, placitis, vel abhorreat, vel, quantum possit maxime, fuerit aliena. Dummodo diligenter studioseque omnia exquisiuerit; exquisita fideliter narrauerit; medicamenta ad morbum abigendum a se adhibita, quibusque adhibitis vel conualesceret, vel fato cederet aegrotus, bonâ fide indicauerit.

Post hominum memoriam in phoenomenorum in corpore humano siue bene valente, siue aegrotante obuiorum causâ primariâ indagandâ incassum laborarunt artis medicae cultores, oleo sane] atque operâ perditis! — Sexcentis Εὔρηκα illud, suum facere visum est, nouorum praeceptorum systematumque nouorum, si Diis placet, auctoribus! — Ferebant

alios, istorum similes, subsequentes aetates, pari modo mox obliuioni traditos unâ cum suis praeceptis. — — —

Idem subibant fatum medicorum theoriae, quas dicunt, omnes; nec praeuideris, quando futurum sit, ut systemati medico solidiori coronidem imponant posteri majoribus sagaciores? Sed fac, id nunquam esse futurum, neque eo sagacitatis processuram esse posteritatem, quo nec aequalibus, nec majoribus pertingere licuit, est sane, quod acquiescamus iis, quibus dudum experientiâ edocti medicorum et nostro et superioribus seculis facile principes docuerunt nos, medicis suis obseruationibus (dummodo inductio- nis atque analogiae tramiti insistentes) quo-

modo, in viâ plerumque satis tenebricosâ ac lubricâ, firmiori quidem gressu, incedendum sit medico.

Ejusdem tramitis tenax ecquidem eo perueni, ut Lepidii ruderalis, in morbis tam internis, quam externis adhibiti virtutibus eximiis largissime edoceret. Est sane, quod mireris, plantae modo laudatae usum a medicis jam dudum fuisse omnino neglectum et quasi desertum, utpote quae satis sit dignâ, quam creberrime adeant atque adhibeant medici, quum inter plantas indigenas proueniat, ut cujus, cuicumque libuerit, sit copia.

Maximum aegrotorum numerum semper reperiri in plebis inferioribus infirmisque ordi-

nibus, constat inter medicos. Nec mirum: Omni medicamine, omni ope, omni subsidio destituti decumbunt. Sed medico vel ad ipsos accessito medicamenta quantumvis praescribente, obstat miserorum paupertas, quo minus iis uti queant. Hinc aegrotorum istorum egestas suadet ipsi, ne omni destituantur auxilio aegrotantes, herbarum et radicum salubrium, earundemque indigenarum, ubicunque locorum prouenientium prudentem usum.

Quà re adductus in *Dissertatione* inaugurali hacce meâ de *Lepidii ruderalis* virtute et, vi salutaris agere apud animum constitui.

Clinici academiae Caesareae Dorpatensis
Directoribus grauiissimis, doctissimis, iisdem-

que praeceptoribus meis ad cineres usque colendis, adiutor datus, jussuque illorum creberrime percurans aegrotos in noscomio laudato decumbentes, morborum, quibus plebeji et rustici homines obnoxii esse solent, penitius cognoscendorum eximiam exoptatamque nactus eram opportunitatem. Summa paupertas, summa rerum ad vitam sustentandam necessariorum penuria, aliae denique res organismo officientes eumque injuriâ adficientes, ob medicamentorum, per tempus iniquum et atrocis, summam caritatem, ubicunque fieri poterat ac licebat, nullum fere, nisi vernaculorum remediorum concedabant usum. In quibus sane eminent Lepidium illud ruderale, ad cuius virtutes salutaris atque eximias, quantum per ingenii viriumque mihi concessarum

modulum licuerit, definiendas atque aestimandas jamjam me accingo. *Ecquidem vereor, ut, quae traditurus sum, omni ex parte satisfactura sint excellentioris doctrinae viris: at spem tamen foueo, fore, ut aequi iudices beneuole indulgeant medico tironi.*

Sectio prima,

sistens

*succinctam Lepidii ruderalis
Botanologiam.*

Plantae, siliquosarum nomine quae veniunt, a structurâ fructûs desumpto, vel, ob petalorum situm, cruciferae nuncupatae, unam constituere familiam, recte traduntur, ut quae, praeter partium fructificationis analogiam circa plurimas notas plantarum habitum spectantes, conveniant. Radix in diuersis speciebus quantumvis diuersa, in eo sibi constat, quod numquam sit bulbosa vel tuberosa; plerumque, — saltem in junioribus, carnosâ, cum senescunt, demum lignescens. Caulis herbaceus, vel fruticosus, aut aphyllus; foliis tantum radicalibus in orbem digestis; aut foliosus, foliis ferè semper sparsis; petiolatis, vel sessilibus, am-

plexicaulibus, immo perfoliatis; simplicibus vel compositis, vel potius vario modo valde profunde laciniatis, laciniis lacinulisque non raro iterum laciniatis. Pinnae et pinnulae in hac familia nempe non ita a rhachi (petiolo communi) sejunctae sunt, sicut in aliis familiis, quae foliis vere compositis gaudent. In plurimis hisce locus ille dignosci potest, ubi petiolus proprius cum petiolo communi articulatione quasi connectitur, id quod in cruciferis numquam cernitur. Inflorescentia semper racemosa. Racemi in caules et ramorum apice terminales, aut elongati (racemi proprie dicti), aut coarctati, pedicellis inferioribus magis elongatis (corymbi), longioribus, aut brevioribus, subinde subnullis ebracteati, aut bracteati, bracteis florum subsessilium subinde eximiae magnitudinis, foliis simillimis (flores axillares sessiles). Calyx tetraphyllus, plerumque deciduus, foliolis duobus oppositis subangustioribus. Petala quatuor in crucem disposita, foliolis calycinis alterna, plerumque aequalia, subinde duo exteriora, majora; rarissime nulla. Glandulae saepe observantur nectariferae duae, vel quatuor, modo inter stamina et germen, modo inter stamina et calycem collocatae. Stamina sex, quo-

rum duo breviora, quatuor longiora, geminatim foliolis calycinis opposita. Antherae plerumque compressae, lateribus angustioribus sese aperientes. Germen superum solitarium, forma varium. Stylus unicus plerumque brevis, subinde nullus. Stigma aut simplex, aut lobatum. Fructus rarissime drupaceus, vel baccatus, plerisque vero aut siliquosus longus, aut siliculosus brevis, plerumque bilocularis, loculis polyspermis; bivalvis; valvulis longitudinaliter dehiscentibus, margine adnatis; dissepimento membranaceo marginato, quod non raro longitudine illas superat et tunc rostri ad instar prominet. Semina plura in quouis loculamento marginibus dissepimenti affixa. Corculum curvatum, perispermo nullo.

Potissimi ac primarii illi fere sunt characteres plantarum, *cruciarum* nomine insignium, quibus *Lepidium* quidem, speciem illarum constituens, adnumerandum est idem, cujus nomen inter nostrates solemne: *Kress* (*Cress*, *Crisonium*) cum variis communicari solet plantis, quarum aliae ad diversas species pertinent, aliae singularem ac propriam constituunt. Ad has quod attinet, primo loco monendum,

Tournefortium *) stitisse duas, quibus, propinquitatis ratione habitâ, a *Linnaeo* in unam comprehensis ac nomine satis diu solemnî extincto, *Lepidii* nomine utramque speciem insigniuit. *Lepidium* ejusque universa familia, a *crisonio* (*Kresse*), tamquam praecipua ac primaria omniumque notissima, *plantarum Nasturtinarum* nomen sortita, multas secum communicant proprietates, ut:

Cal. Perianthium tetraphyllum: foliolis ovatis, concavis, deciduis.

Cor. tetrapetala, cruciformis. Petala obovata, calyce duplo longiora: unguibus angustis.

Stam. Filamenta sex, subulata, longitudine calycis, horum duo opposita breviora. Antherae simplices.

Pist. Germen cordatum. Stylus simplex, longitudine staminum. Stigma obtusum.

Per. Silicula cordata, emarginata, compressa, margine acutâ, bilocularis: valvulis naucularibus, carinatis, dissepimento lanceolato contrariis.

*) Joseph. Pitton. *Tournefort* Instit. rei herbar. Parisiis 1719. Tom. I. Cl. V. p. 215.

Sem. Nonnulla, ovato-acuminata, basi angustiora, nutantia.

Alberto de Haller *) utrumque nomen *Tournefortianum* duoque genera adoptare visum est, sed aliter omnino distincta. Plantae *crisonii* speciem prae se ferentes (kressartig) omnes, ut quae styli sint brevis, foliolorum calycis aequorum (haud gibberorum), valvulae utriusque oblongae, *Nasturtia* ipsi audiunt. Aest non silicularum faciem solum negligit, verum etiam plantas siliculae sive latae, sive angustae, sive planae, sive conuexae male confundit ac permiscet. Generi *Lepidiorum* attribuit plantas omnes ceteroquin sibi similes, quae, styli proceritate, a ceteris abhorrent. Propterea non *Nasturtii* et *Lepidii* *Tournefortii* species solum disjungit, sed et genera illorum, *Cochlearia*, *Thlaspi*, *Draba* et *Iberis* in amborum generum istorum censum venire eidem videntur.

Carolo de Linné XIX species constituere collibuit, quibus *Lepidii* genus constet, systematis sui Classi XV *Tetradynam.* siliculos. adnumeratas, ut quo *Lepidium* ruderale referen-

*) *Historia stirpium indigenarum Helvet.* Bernae. 1779. Fol. 219. Class. IV. *Cruciatae*, 11. *Siliculosae*.

dum sit idem. Ad quod quidem breviter stric-
timque describendum agendum transeamus!

Lepidium ruderale, floribus diandris apeta-
lis, foliis radicalibus dentato-pinnatis, rami-
feris linearibus integerrimis. *Linn.* — Bursa
pastoris minor; Nasturtium angustifolium *Fuch-*
sii. — Iberis Matthioli. *Rupp.* — Iberis se-
cunda *Theod.* — Thlaspi minus *Dodon.* —
Thlaspidii aliud genus et Nasturtium quintum.
Trag. — Iberis Nasturtii folio; Nasturtium
sylvestre, osyridis folio. *C. Bauhin.* — Nastur-
tium sylvestre Thal. Dalechamp. *J. Bauhin.* —
Nasturtium sylvestre, osyridis folio, capitulis
minimis *Morison.* — Nasturtium primum Bau-
hini, angustifolium *Fuchsii.* *Rajus.* — Nastur-
tium sylvestre, tenuiter incisum, minori fructu.
Tournefort. — Nasturtium apetalum, foliis pin-
natis, radicalium pinnis semipinnatis, caulino-
rum simplicibus. *Haller.* — Nasturtium foliis
imixtis multifidis, superioribus integris perangu-
stis. *Ejusd.*

Arabice: شيطح⁵ Schitānedsch seu Schi-
tandsch. *Ebn Sina*, vulgo *Avicenna*.

Germanice: Mauerliebende, unvollkommene
Cresse, Stück-Cresse, wilde Cresse,

Besenkraut, Hundeseich - Cresse,
Hundeseife.

Angl. The narrow leaved dittander, or pep-
perwort; The wild Cress.

Belgice: Puinhoopig peperkruid; Klein be-
zemkruid.

Gallice: Cresson des ruines; Passerage sau-
vage.

Italice: Nasturtio sylvestre.

Danice: Tving karse.

Ruthenice: Дикой крессъ.

Estonice: Mõri karsid, luu wallo hainad.

Lepidium ruderale fere in universâ, quam
late patet, Europâ copiose nascitur, maxime
in lapidicinis, ruderibus, muris, ad vias, cal-
leave, in locis incultis, lapidosis aridisque aliis.
Floret mensibus Junio et Julio. Radix est
fibrata, annua; caulis unius pedis vel etiam
sesquipedis fere longitudinem aequat, in ra-
mulos multos dispersitus. (In *onomatologiâ*
botanicâ ad decem pedum altitudinem accedere
male perhibetur; per errorem, uti videtur, ty-
pothetæ.) Inferiora folia plumata et plumarum
ad instar dissecta; superiora integra et aequa-
liter lata. Flores, non nisi quatuor calycis fo-
liolis iisque gibberis atque exalbidis et duobus

staminibus constant. Folia florum omnino nulla. In siliquae ovatae loculis semen sementinum solitarium idemque tenuissimum. Viridis plantae odor praegravis, asper, foetens; sapor pungens, acer, crisonium redolens, ingratus.

Quum plantae omnes crisonii nomine quae veniunt, saporis acrimonia atque amaritudine sint insignes, sane non abhorret a vero suspicio, nomen germanicum *Kress*, voci *räfs*, in Germaniam australem hodiernam solemni, ut cui quidem, *acris* atque *amarae* rei notio subbit, suas debere natales, non nisi sono palatino, g, praefixo, fere sicut quibusdam vocibus ipsorum Latinorum, ut: „*navus*, *navitas*, *naviter*, unde, sono palatino, g, praefixo: *gnavus* (ignavus i. e. ingnavus) *gnavitas*, *gnaviter* etc. prodibat. Sic: *natus*, unde *gnatus*; *nobilis*, unde (Festo suadente, et) *gnobilis* (ignobilis i. e. ingnobilis) *nosco*, unde *gnosco* (hic: *cognosco* i. e. *congnosco*), *ignosco* i. e. *ingnosco*; et *γνώω*, *γνώμι* (= *γινώσκω*) ejusdem thematici cum (obsoleto) *noo*; Perf: *novi* Latinorum. — — Velificatur suspicioni nomen sinapis Anglosaxonicum *Cressac*.

Lepidii ruderalis imagines aeri incisae subministrant *Krockerus* a), auctor anonymus *Florae Danicae* b), *Schkuuhrius* c), alii.

Sectio secunda,

exhibens

Antiquitates Lepidii.

Ante quam ad Lepidii ruderalis vires ac virtutes disquirendas progredior, a re haud alienum esse videtur, de hujus plantarum generis inter veteres, usu quocunque, in primis medico, disserere brevissimis. Quae archaeologica quidem disquisitio ad praxin medicam adjuvandam quantumvis parum facere videatur, non tamen omnino negligenda, quum hujus plantarum generis primum usum inde ab antiquissimis temporibus repetere liceat, et mox intelligas, haud latuisse veteres, quantum quamque vario modo prosint.

a) Flora Silesiaca. Vol. II. Tab. 29. 30.

b) Flora Danica. Tab. 184.

c) Botanisches Handbuch. Tab. 180. Dodonaeus, p. 704.

Crisonium (*die Kresse*) variis celebratur nominibus apud veteres. Graecis *καρδαμον*, *καρδαμεις*, *αγριοκαρδαμον*, *ιβηρις*, *λεπίδιον*, *κνυκαρδαμον*, *δ* *καρδαμαντική* audiebat; quae nomina ad unum omnia Nasturtium reddere visum est superiorum aetatum scriptoribus Latinis, specierum varietatis, quibus illarum plantarum constituitur ipsum genus, nullâ ratione habitâ. Inferioris aetatis scriptoribus (quorum Latinitas *barbara* salutari solet) *Cresso*, seu *Crisonium* audiebat id plantarum genus, a *crescendo*, quod crescant citissime.

Lepidium (*Λεπίδιον*), etymon cum spectes, descendit a *λεπίς* (*lîs*), *squama*, vel, si malis, a *λεπος* (*eos*) h. e. *cortex*, *squama*, seu *ἀπό τοῦ λέπειν* (*λεπίζειν*) i. e. *decorticando* dictum, eo, quod ad cicatrices, impetiginem et notas in cutis superficie conspicuas (*τὰς λεπίδας*) abigendas facere crederetur, sicuti colligere licet ex iis, quae Plinius e) commemorat: „*Serui*

d) *Ἰβηρις λεπίδιον*, *κνυκαρδαμον* nomina omnino Synonyma erant Lepidii nostri ruderalis. Vid. Galen. L. X. κ. τόπους c. 2. p. 635. 636. „*Ἰβηρις* et *καρδαμαντική* etiam *λεπίδιον*.“

e) Hist. nat. ex edit. Harduini. (Parisiis 1723. fol.) Lib. XX. c. LXX. p. 215.

„*compuncti Romanorum*, ait, *notas tollebant lepidio*: quare id ubi animadversum est, candenti ferro inuri eos investa consuetudo est.“ — Quae quidem herba, adhibita, carnationem recentem genuisse videtur, quâ loca notis ante conspicua evanescerent, quod hodieque animadvertere licet idem.

Ἰβηρις dicta herba est ab *Ibere*, seu *Ibero*, i. e. *Hispano*; seu ab *Iberia*, Hispaniae nomine antiquo, (unde et *Ebro*, nobilis ille Hispaniae fluvius!), ubi terrarum largissime jam olim proveniebat ista herba.

Nasturtium, quasi *Nastortium* (*narestorium*) dicebatur, velut a *narium* tormento, utpote cujus odor nares torqueat, iisque molestum sit. Varro f) et Plinius g) istius etymi sunt auctores, quibus testibus plantae acer odor, naribus haustus, ad sternutandum et ad nasum crispandum, vel *distorquendum* incitet. Quae saepe spectant illa *Aristophanis* (in *Nube*) verba:

f) Apud Non. Marcellum p. 42. edit. Plantiniana; (in Pappo) „*Nasturtium nonne vides ab eb dici, quod nasum torqueat? Vestispicam, quod vestes spiciat?*“

g) Hist. nat. XIX. 8.

Ὄξυδύμων καὶ δικαίων καὶ βλεπόντων κάρδαμα.

h. e. Acrium et justorum et oculis (qui exhibent) nasturtia.

et Moreti versus ille hexameter;

Quaeque trahunt acri vultus nasturtia morsu.

Wesselingius h) commonefacit Arabismi, scite quidem, quantumvis non satis exacte, docens, Arabicum *chôte*m (male enim pingit literis *Hebraicis* adhibitis, חַיִּת , cujus quidem formae, quod sciam, omnino expers est lingua Arabum), esse: *nasum pungere*, et nomen iisdem expressum literis significare *nasum*; nasturtio autem eam inesse vim, ut nasum adficiat. Verbi Arabici ejusdemque *denominativi*,

خَطْم (*chátama*, vel *chátém*) potestas re vera est: *percussit in naso*; خُطْم (*chátim*) *nares*;

مُخْتَم (*méchtim*) et مِخْتَم *nasus*. Et memorabilis sane est usus nominis خَطْبِي ,

s. خَطْبِي , s. خُطْبِي (*chitmi*, *chétmi*, *chétmi*)

herbam quandam significantis, in qua defi-

h) Observat. II, 22.

nientia dubius haeret *Castellus* i) unâ cum *Golio* k) „Herba, ait uterque, quo lavatur caput,“ jam de *Althaea*, jam de *hibisco* cogitans. Mentionem herbae faciunt *Abulpharagius* l) et *Ebn Sina* (quem vulgo *Avizenna* male nuncupant) m). Quid? si de *Nasturtio* cogitaveris, memor loci ex *Plinii Historiâ* nat. supra laudati?

Κάρδαμον *Perizonius* n) derivat a voce *Persica*: κάρδα , quae, *Strabone* teste, $\text{τὸ ἀνδρῶδες καὶ πολεμικόν}$ significat. Procul dubio de *Persico* كرد , seu كرد (*cord*, seu *kurd*) cogitandum, *fortem*, *bellicosum*, *strenuum* in-nuente o), unde et nomen *Curdorum*, gentis bellicosissimae. Οἱ κάρδακες *Persis* erant militum conductitiorum species: „barbari milites, quos illi (*Persae*) *Cardacas* adpellant“ auctore *Cornelio Nepote* p), quos pariter a strenuitate dictos esse, nullus dubito.

i) *Lexicon heptaglott.* Tom. I. col. 1200.

k) *Lexicon Arabicum.* s. I.

l) *Hist. Dynastiar.* p. 11.

m) *Ebn Sina* I. 252. 6. 268. 36. tit. et 273. 15. 421. 46.

n) *Ad Aelian.* Var. hist. III. 39.

o) *Vid. Castell.* *Lexicon Heptaglotton.* Tom. I. col. 446.

p) *Datam.* 8.

Τὸ κάρδαμον, teste Perizonio q) maxime in Persarum cibariis erat. Quo in pulverem resoluto et cribrato usos eos fuisse, docet locus ille Polyæni r): Καρδάμου κεκομμένου σιτισμένου λεπτοῦ, quod quidem non nisi in sementicum valere videtur. Ceterum sub τῷ καρδάμῳ a scriptoribus infra laudandis, Crisonium, seu nasturtium hortense intelligendum esse suspicer, quo, tanquam opsonio, vesci solebant veteres, persuasi, acrimoniae, quâ pollet, beneficio, alacres, fortes animososque ac prudentiores esse futuros, qui comederint, sicuti docent testes mox laudandi:

Cassianus Bassus s): Φασὶ δὲ, αἰτ, τοὺς ἐσ-
τίντας καὶ κάρδαμον ὀξύτερος τὴν διάνοιαν γίνεσθαι
(„Vescentes nasturtio mentis acumine subtiliores evadere dicuntur.“) Plinius t) idem sentit. „Nasturtium, inquit, nomen accepit a „narium tormento; et inde vigoris significatio „prouerbio ejus esum significavit, velut tor- „porem excitantis.“ — Prouerbiū, quo olim

q) Ad Aelian. Var. hist. l. c.

r) IV. 3. 32.

s) Geoponicor. Cass. Bass. ed. Niclas. Lib. XII. c. 27. p. 907.

t) Hist. nat. Lib. XIX. c. 8.

utebantur ad tardi obtusive ingenii mentisque expertis hominem innuendum, hoc erat: Ἐσθίε κάρδαμον! Vescere nasturtio!) — Eodem respiciunt illa Aristophanis u) verba: Ἐσθίε Ἐφαγον κάρδαμα τί καρδαμίζεις; („Edi heri nasturtia: quid nasturtiaris?“) —

Maxime crisonii seu nasturtii hortensis usus invaluerat olim inter Persas, dum temperantius vivebant. De quibus Xenophon v): Διδάσκουσι δὲ ἐγκράτερες εἶναι γαστρός καὶ ποτοῦ. Φέρονται δὲ ὀικοθεν σίτον μὲν, ἄρτους, ὄψον δὲ, κάρδαμον, πᾶν δὲ, ἢν τις διψῇ, κώθωνα, ὡς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἀρύσασθαι („Docent etiam (pueros) „temperantiam. Feruntque domo, pro cibo, „panem, pro obsonio, nasturtium, ad potum „vero capedinem, ut ex flumine aquam hau- „riant.“) Et alio loco w) idem: Καὶ ὄψον δὲ τοῦτο, inquit, ἔχουσι οἱ τηλικούτοι, ὃ τι ἂν θηρώ-
σωσιν εἰς δὲ μὴ, τὸ κάρδαμον. Εἰ δὲ τις αὐτοῦ ὀιεται ἢ ἐσθίειν ἀηδῶς, ὅταν κάρδαμον μόνον ἔχουσι ἐπὶ τῷ σίτῳ, ἢ πίνειν ἀηδῶς, ὅταν ὕδωρ πίνωσιν, ἀη-
δῶς.

u) Ἐν Θεσμοφορόνταις. 624.

v) Κυροπαίδ. (Xenophontis. Atheniensis. scriptae ed. Wierke Lips. 1798. Cyri Disciplinae) Lib. I. Cap. 2. 8.

w) Lib. X. 11.

μνησθήτω, πῶς μὲν ἠδὺ μᾶζα καὶ ἄρτος πεινῶντι Φαγητῶν,
 πῶς δὲ ἠδὺ ὕδωρ διψῶντι πιᾶν („At obsonium qui-
 „dem hoc puberes habent quodcumque venati
 „fuerint; nam si id minus, nasturtio vescun-
 „tur). Quod si quis existimet, eos aut vesci
 „injucunde, cum aliud nihil praeter nasturtium
 „addant ad cibum, aut potu minus suavi uti,
 „meminerit, quodammodo jucundum esse li-
 „bum panemve, cum esuriens comederis, ju-
 „cundam aquam, cum sitiens biberis“) — Cujus
 rei mentionem pariter fecit Cicero^x), Xenophon-
 tis auctoritate usus: „Persarum, inquit, a Xe-
 „nophonte victus exponitur, quos negat ad panem
 „adhibere quicquam praeter nasturtium.“ Et
 alio loco idem y): „Sit, ait, voluptas non mi-
 „nor in nasturtio illo, quo vesci Persas esse
 „solitos scribit Xenophon, quam in Syracusa-
 „nis mensis, quae Platone grauius vituperan-
 „tur. Sit, inquam, tam facilis, quam vultis,
 „voluptatis comparatio: quid de dolore dici-
 „mus?“ Haec ille.

Panem et Nasturtium quotidiana Persa-
 rum alimenta fuisse, quibus usos, strenuos se-

x) Tusculan. quaest. Lib. V. c. 34.

y) Cicero de finibus bon. et mal. Lib. II. c. 28.

se exhibuisse milites, docet praeterea Strabo z):
 Ἡ δὲ καθ' ἡμέραν διαίτα ἄρτος μετὰ τὸ γυμνάσιον,
 καὶ μᾶζα, καὶ κάρδαμον, καὶ ἄλιων χόνδρος ἢ
 ἐφθὰ ἐξ ὕδατος. (Quotidianus eorum cibus post
 „exercitationem (adsumtus) est panis (duris-
 „simus) et nasturtium et salis grana, potus
 „aqua.“) —

Sed causa, ob quam nasturtio usos com-
 memorauimus Persas, sola non erat. Accede-
 bat insuper alia, a suae gentis moribus submi-
 nistrata, commemorata a Xenophonte a): Λίσαρ-
 ρὸν μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐπὶ Πέρσαις καὶ τὸ ἀποπτύειν
 καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ Φύσης μεσοῦς Φάινεσθαι.
 Λίσαρρὸν δὲ ἔτι καὶ τὸ ἰόντά που Φανερόν γίνεσθαι ἢ τοῦ
 οὐρῆσαι ἔνεκα, ἢ καὶ ἄλλου τινος τοιοῦτου. Ταῦτα δὲ οὐκ
 ἐν ἐδύναντο ποιᾶν, εἰ μὴ καὶ διαίτη μετρίῳ ἐχρῶντο,
 καὶ τὸ ὕγρον ἐκπονοῦντες ἀνήλισκον ὥστε ἄλλη ποτ' ἀπο-
 χωρῶν. („Turpe praeterea etiam est apud Per-
 „sas, spuere et emungi et flatus emittere ple-
 „nos. Turpe etiam ducitur, si quis adpareat
 „quâquam ire, aut mejendi aut cujusquam hu-
 „jusmodi rei gratiâ. Quae quidem facere nullo

z) Rerum geographicar. Lib. XV. (edit. Siebenkees,
 Lips. 1811.) Tom. VI. pag. 229.

a) Cyropaed. Lib. 1. c. 2.

„pacto possent, nisi et victu modico uterentur
 „humiditatemque per laborem consumerent;
 „quâ quidem re efficitur, ut ea aliô quopiam se-
 „cedat.“

Ejusdem rei mentionem facit Suidas b),
 qui: *Κάρδαμα*, inquit, *επισχετικά ούρον και πτύσμα.*
τὰ κάρδαμα και διὰ τούτο φασί τους Πέρσας χρῆσθαι
φυλάττονται γάρ πολλά πτύειν, ούραν, και ἀπομύ-
ττειν. („Nasturtium, urinam inhibens et sa-
 „liuam, quam ob causam eo uti traduntur Per-
 „sae. Cavent enim, ne multum expuant, vel
 „mingant, vel emungant.“ —

Hinc, quod Nasturtio exsiccandi ac super-
 fluos corporis humores imbibendi, condensandi
 et consumendi vim tribuerent, factum est, ut,
 Ammiano Marcellino auctore c), cadavera
 Persarum, (ob tenuem nimirum ac modera-
 tum, quo, dum viverent, uterentur, victum
 et creberrimum in primis nasturtii usum) te-
 dae ad instar arefacta atque exsiccata faciem
 habitumque diu servarent, Romanorum contra

b) Lexicon, graece et latine, (edit. Küster, Canta-
 brig. 1705.) p. 242.

c) Rerum gestarum lib. XIX. cap. 10. (Edit. Gronov.
 Lugd. Batav. 1593.) p. 172.

in praelio caesorum corpora confestim putresce-
 rent et facie habituque intra quatuor dies om-
 nino deformatis d).

Nasturtii in medicinâ adhibiti primam men-
 tionem facit Hippocrates e); de quânam vero
 cogitandum sit specie, non constat. *Σαυρίδιον*
 nuncupat ille, *nasturtium* reddunt illius inter-
 pretes f). „*Σαυρίδιον* est *nasturtium*. Galenus in
 „Exeg. sic vocari herbam, quae cardamis dici-
 „tur, a figurae similitudine, scribit, quae et
 „cardamum vocatur. Erotianus g) quoque *Σαυ-*
ρίδιον esse, quam cardamida vocant, scribit,
 „cardamo et nasturtio similem, quae vim habet
 „calescendi.“ — *Aëtio* h) etiam *cardamis*,
ibêris et *Lepidium* nomina sunt mere synonyma.
 Hinc i) *περί τῆς ἰβήριδος, ἤτοι καρδαμαντικῆς, αἰτ,*
ἣτις καλεῖται και λεπίδιον (i. e. „quae et *Lepi-*
dium dicitur.“)

d) Conf. Schneider de catarrho. IV. p. 447.

e) Oeconomia Hippocratis. Francof. 1588. p. 560.

f) Ibid.

g) Glossaria in Hippocratem.

h) *Aëtii* Tetrabibl. III. Serm. IV. cap. II, p. 3.

i) Tetrabibl. I. Ser. III. cap. DXXXIV.

Theophrastus Eresius k) (circa A. 370. a. Ch.) hujus plantae passim mentionem faciens, species ejus male permiscet.

Pedacius Dioscorides, Anazarbeus, unius illius operis materiam medicam sistentis, nullique suae aetatis cedentis, digni sane, quod, per illud quidem aevum, quodammodo perfectum dixeris, adeoque a viris doctis quarumcunque gentium materiae medicae ac botanices archetypi loco numerati, illius, inquam, operis famosissimus auctor, herbam illam passim commemorat idem. Cui, licet Romanorum castra sequuto, comiti, Graeciam, Galliam aliasque terras peregrinanti, variarum plantarum innotesceret insignis copia, facile tamen tibi persuaseris, permulta illarum nomina debere eum hominibus botanologiae haud satis gnaris; quo deinde factum est, ut eandem herbam variis insigniret nominibus. Hinc *περὶ ἰβήριδος* („de Ibêride“): „Ἰβηρίς ἦτοι καρδαμαντική, αἶτ, ἔχει τὰ φύλλα παρόμοια καρδάμω, ἐν ἔαρι εὐδαλέστερα, μήκος δὲ ὅσον πηχυᾶν ἢ ἐλάττων· φύεται δὲ

ἐν ἀγεωργήτοις τόποις, θέρους δὲ γαλακτικὸν ἄνθος προβάλλει, καὶ τότε ἐστὶ δραστηκώτερον· ἔχει δὲ δύο ρύζα παρομοίως καρδάμω θερμαντικὰ καὶ καυστικὰ· αὐτὰ γὰρ ἀγαθὰ αἰ εἶναι πρὸς ἰσχυαδικούς σὺν λίποις ὕειου τεταρχιζόμενου, ὡς ἐμπλασρῶδες γέεσθαι καταπλάσμα μέχρις ὠρῶν τεττάρων· ἔπειτα ἐν βαλανείῳ ἐμβιβαζέσθω, καὶ ἐλάω μετ' εἰρίου τοῖς τόποις ἐπιχρίεσθω. (i. e. „Iberis, sive cardamantica folia habet nasturtii, „vere virentissima, caulem cubitalem, aut minore; in incultis nascitur; aestate lacteum „florem promit, quo tempore efficacior. Radices duas, nasturtio similes, habet, calefacientes et adurentes; ipsae enim ischiadicis cum „salsa axungia emplastri modo utiles, quaternis horis alligatae, ut dein in balneas descendatur et postea oleo cum lanâ locus perungatur.“ —) Et alibi ¹⁾ *de Lepidio* idem fere repetit, nisi quod foliorum eandem vim medicam celebret („Δύναμις δὲ τῶν φύλλων δριμύτη ἐλκωτική etc.) quam ante radici tribuisset, subaddens: ἀφίσησι, ἢ καὶ λέπρας („lepras eximit.“)

Ante illius, uti videtur, aetatem (ut in quâ definiendâ quam maxime dissentiant viri docti) florebat *Servilius Democrates*, permulto-

k) *Theophrasti Eresii Historia plantarum*, (edit. Joan. Bodaei a Stapel. Amstelod. 1644. fol.) Lib. VII. c. 8. Lib. I. c. 49. — *Casp. Bauhini Πιναξ θεατρὶ βοτανικοῦ*. Basileae 1671.

1) Lib. II. cap. CCV. *περὶ λεπιδίου*,

rum medicamentorum compositorum (et ne perfectus eorum praeparandorum modus immutaretur, adeo carmine ab ipsomet celebratorum) inventor. Cujus mentionem passim faciunt et Galenus m) et Plinius n), laudantes ipsius *Clinicum*, — opus, in quo miras, ne dicam, portentosas *Lepidii* (*ἰβήριδος*) vires mirifice laudat o). De ipso *Lepidio* nostro esse cogitandum, haec monet (soloecismis scatens!) descriptio: p)

„Ischiadicorum cura a Damocrate conscripta, ex Iberide. q)

„Damocratis extat libellus, *Clinicus* inscriptus, „in quo versibus *Jambicis*. (?) quemadmodum solet, de tribus disserit medicamentis. Ac primo „quidem eo, quod ex herba, quam ipse *Iberidem*

m) De compos. medic. sec. genera et loca. *Operum* Tom. V. lib. X. (edit. Froben. Basil. 1542. fol.) p. 787. et p. 1020.

n) *Hist. nat. lib. XXV.* (edit. Harduin. *Paris. 1723.* fol.) p. 373.

o) *Conf. Sprengelii Geschichte der Medicin, Tom. II.* p. 40.

p) *Vid. Galenus l. c. 788.*

q) *In Dioscoridis Anazarbei de medica materia libros quinque enarrationes Amati Lusitani. (Argentorati. 1554.) Lib. 1. p. 168.*

„appellat, constat. Secundo ex semine dolores „sedante composito. Tertio vero purgatorio et „ab ipso *Hiera* appellato. De primo igitur in „ischiadicorum curatione in eo libello haec „scripsit: In *Iberide* inquit medicum quendam „amicum suum per hanc herbam percurasse, „quam herbam, ut dixi, ipse *Damocrates* *Iberidem* appellat, ut qui ipse visu herbam cognovit, nomen autem ejus nullum audierit, „quum etiam id ipsum ignoravit is, qui eum usum „ejus docuit. Verum ex signis, quae scribit, videtur *Iberidem* appellare, quae a Graecis *Lepidium* nominatur, a regione in qua amicus „ejus curatus est, appellatione ducta. Describit „autem ipsius signa per hos *Jambos*: (!)

„Herba haec ubique multaque frequens nascitur,

Monumenta juxta antiqua, muros et veteres,
Tritasque quondam publice pedibus vias,
Quas juxta aratrum duxit haud quis agricola,
Semper virescens, foliis nasturtii
Florentibus vere, attamen majoribus.
Caulem cubitalis longitudinis gerit,
Paulo minorem, aut rursus ampliolem, ab hoc
Aestate pendent folia, donec multa hyems
Sarmentitiam deducat haec ad imaginem, et

Dejecta et exsiccata depereant gelu,
 Adnata radici tamen cernes alia.
 Aestate florem fert colore lacteo.
 Multum tenuem variumque valde cauliculus.
 Ad quem sequitur semen penitus sic exiguum,
 Visum fere, ut fallens, oculos quoque effugiat.
 Odorem habet radix ab inde acerrimum,
 Vere similem quam maxime nasturtio.

„Per hos quidem versus figuram herbae indicavit.

„Consequenter autem usum ipsius per hujusmodi:

„Hanc erutam larga satis cape copia
 Aestate, nam tunc optima et fortissima est
 Adhuc recens, siccata fit et debilior.
 Tusam hinc probe, (nam difficulter tunditur)
 Pauca subactamque excipies axungia,
 Crurique toti et maxime coxendici
 Adhibebis, et ligabis et sines duas
 Horas mulieribus, viris sed quatuor.
 Hinc balneo inductos, nec nullo ex unguine,
 Nec smegmate ullo pinguiore collines.
 Sudore sed modico exiliente, in solum
 Merges, manere coge, siquidem saepius
 Morsum, caloris quempiam ac sensum afferat.
 Verum hinc rigatos leniter producito.

Illati enim quamvis manibus sint plurium,
 Exhibet attamen suis pedibus valens.
 Ad multum oleum miscebis hinc vinum modicum

Et concuties, et illines totos eo.
 Ac mox madore terso et pinguitudine,
 Totum teges crus mollibus tu velleribus,
 Jubens obire assueta vitae munia,
 Quaecunque vult et non grauatim suscipit.
 Hoc auxilium certum atque constans integre est.

Et nullo alio adjiciendo ei simul indigum.
 Expers doloris et ubi manseris fere
 Quod accidit, radiculam laetus cole.
 Quod si tamen inde affectionis vestigium
 Quoddam supersit, post repetes hoc praesidium,
 Diebus ut multum decem bis praeteritis.“

„Hoc sane utendi modo et inueteratos capitissimos dolores, et alias omnes quaecunque corporis parte inueteratas et aegre solubiles affectiones ac resolutiones se curasse ait, et omnino vitia in quibus alii sinapismo appellato, et auxilio ex thapsia confiato utuntur, se per hanc herbam persanasse dicit. Porro de hac iberide

„etiam Archigenes scribit in secundo Pharma-
 „corum secund: gen: lepidium ipsam appel-
 „lans. Dicit autem et splenicis et ischiadicis
 „ipsam conuenire.“ — Haec ille.

Cassianus Bassus r) quas nasturtio attribue-
 rit virtutes viresque medicas, haec ipsius verba
 docent: „Nasturtii semen, ait, farinae faba-
 „rum admistum, additâ etiam lixivii parte stru-
 „mas et carbunculos sanat; verum linteoli loco,
 „brassicae foliis utendum est. Cum menthâ
 „autem et vino potatum lumbricos et taenias
 „abducit. In lacte caprino coctum thoraci me-
 „detur. Res venereas maxime reprimit. Cum
 „melle, tussi medetur. Imponitur etiam ulce-
 „ribus cuniculatim depascentibus. Succus ip-
 „sius pilorum defluxum sistit. Adipe anserino
 „addito ulcuscula in capite furfuresque ac por-
 „riginem curat. Furunculos cum fermento ma-
 „tuos fecit. Ajunt etiam dentium dolorem
 „succo ejus per aures instillato sanari.“

A. Corn. Celsus s): „Nasturtium, ait, al-
 „vum mouet et urinam, lienem extenuat, vul-
 „nus glutinat, difficultatem spirandi tollit et

r) Geoponic. ad Niclas. Lib. XII. cap. 27.

s) De medicinâ libri octo; (ed. Krause. Lips. 1766.)
 Lib. IV.

„lumbricos teretes abducit.“ — Concinit Co-
 lumella t).

Plinius u), Nasturtii usum commemorans:
 „Rheumatismos. ait, omnes sanat occultos. Im-
 „ponitur non in ipsâ inflammatione, sed immi-
 „nutâ.“

Arabes herbâ, de cujus virtutibus hic agi-
 tur, rarissime usi fuisse videntur, nomine
 شيطنج (Schitandsch), quod inter ipsos Na-
 sturtii est, ab Ebn Sina (Avicenna) rarius
 commemorato.

Inferioris aetatis medici nasturtio in hisce
 morborum formis usi sunt:

1) Scorbuto et atrophia scorbuticâ laboran-
 tibus recens adhibitum, strictae alui soluendae
 et sanguinis repurgandi vi pollere perhibetur.
 Hinc perantiquus ejus in coërcendo usus. Pueri
 cujusdam scorbuto laborantis, ejusdemque febris
 tertianae soporosae obnoxii, succum Nasturtii
 expressum infundi jussit ori Eugalenus v), quo
 remedio adhibito conualescebat aeger. A. Werl-

t) De cultu hortorum. Lib. X. vers. 230.

u) l. l. p. 374.

v) De scorbuso. Obs. 54.

hofio w) contra, eidem remedio, in eadem quidem feбри adhibito, non omnino cedebat morbus, veri nominis scorbuto tum haud pariter associato. Nihilo secius tamen succum Nasturtii aegrotantis ori, paroxismo feruente, infusum, censet esse commendabilem. In istius generis morbis quoque aliis usi sunt nasturtio, sed in aquâ discoccto, *Forestus* x) et *Rondeletius* y).

2) Ulceribus cacocheticis, phagedaenicis, impetiginibus, squamis cutis debellandis succus expressus cum melle adhibitus, purificandi et sanandi vim exerebat z).

3) Ejusdem plantae in viscerum obstructionibus, phtisi lienali et hydrope sanandis continuus usus in primis fructuosum se praestauit a).

4) Aduersus pulmonum morbos vis illius herbae insignis erat b); in ipsâ phtisi pulmonali

w) De febribus, p. 18.

x) Opp. Lib. III. Obs. 39. Schol. p. 366.

y) Method. cur. morb. cap. XIX.

z) Schola Salernitana. 70.

a) *Halleri* Stirp. Heluet. p. 219. n. 432. Jo. a Muralt. Hipp. Helv. p. 658.

b) *Zwingeri* Dissert. de plantis Nasturt. p. 49. Iaur. Joubert. Operum lat. p. 476.

purulentâ levamen praestans c). Accidit adèo, ut succo herbae laudatae et ipsâ, in aquâ decoctâ, ori jejuno mane datis, oxigalâ deinde in potum cedente, phtisis omnino abigeretur d).

Celebrant quidem pulmonum phtisi absumptorum, plantae laudatae beneficio mox omnino restitutorum prodigiosum exemplum e), sed an dignum sit fide et medici considerati plausu, est sane, quod dubius haereas.

5) Et morbis renum et viarum urinariarum, arenulis et lithiasi menstruisque anomalis percurandis herba illa, cum aliquantulo nitri, haud sine fructu data; pariter, cum oleo mixta, in abducendis vermibus intestinalibus f).

6) Scabiei et achoribus infantum medicaturis *Pariis* aliique unguentum ex plantae laudatae foliis seminibusque, cum adipe insulso commistis, commendant g).

c) *Boneti* Sepulchr. Tom. I. p. 686.

d) *Ephemer. Natur. Cur. Dec. 2. Ann. 8. Obs. 142. p. 301.*

e) *Bonet. l. c. p. 693.*

f) *Mich. Ettmüller. Oper. medic. Tom. II. p. 54. Claud. Deodar. Panth. Hyg. III. 26. Vit. Riedlm. Lin. Med. an. I. p. 401.*

g) *Sennert. Prax. de infant. morbis. Lib. IV. P. II. c. 4. Roder. a Fonseca. Tom. II. Cons. 24. — Petr.*

Et semen et herba cutis rubefaciendae vi parca pollet.

7) In febribus quartanis herbae illius usum profuisse perhibent h).

Sed longum foret, ac verendum, ne extra dissertationis fines terminosque constitutos egrediar in medium prolaturus omnia a complurium seculorum medicis tradita, commemoraturus in quibuscunque morborum formis singulis planta illa fuerit adhibita. Potiora commemorasse sufficiat, minoris quae fuerint momenti, ut quorum mentio facta molesta sane foret lectori, silentio praetermissis. Ad tertiam dissertationis nostrae sectionem, eamque chemicam, statim transeundum.

Forest. Obseru. med. 9. Lib. VIII. Ambros. Paracel. Oper. chirurg. XVI. 2.

h) *Th. Paracelsi* Schol. ad Poëmat. Macri de virt. herbar. — Joan. Hartmanni Prax. chym.

Sectio tertia,

sistens

Analysin chemicam.

Vegetabilium vi medicâ praedictorum partes constitutivas penitus cognoscere, ad rationem, quâ vires suas in organismum exerant morbosum, quodammodo perspiciendum facere, compluribus viris doctis persuasum. At sunt tamen, qui in contrariam discedant sententiam, compluribus partem erroribus, quibus obnoxii erant circa ea, quae in examinandis medicamentis, ceu substantiis organicorum loco numerandis, experti sibi videbantur chemiae cultores. Exempli causa *Derosnium* commemorare liceat, suadentem nouum, unde opium oriatur, principium crystallinum, id quod, ipsius quidem arbitrato narcoticum principium ipsum constituat i). Non deerant quidem medici, qui memorabile neque omnino

i) Ann. de Chymie. T. XLV. p. 257. Germanice reddit. in Trommsdorff's Journ. d. Pharmacie, Tom. XII. Partic. I. p. 223 sqq.

temerarium viri docti praeceptum, fructum ut inde caperent, sequuti, virtutes principii crystallini ex opio secreti diligentius examinandas sumerent, principium illud crystallinum in dosi longe minori, quam opium solet ipsum, adhibitum, vim suam exserturam esse persuasi. Sed spe ancipite dejecti. In quibus prae ceteris nominandus videtur *Nistenius* k). Praeterea *Pagenstecher* commemorat, de homine aegro in nosocomio quodam *Bernensi* decumbente, ex minima *opii* dosi data adfecto, in quo VIII gr. principii crystallini per X, XIIve dies continuos adhibita, fere omni caruerint effectu l).

Cujusmodi errores, in quos analysi chemicâ inducti sunt medici, commemorare plures sane liceret in medicorum scriptis passim commemoratos.

Hinc ad substantiae organicae compositae viribus medicis praeditas partes singulas, chemicâ arte detectas, qui omnino non respiciant, iisque neglectis in rationem, quâ in organis-

k) *Nouveau bulletin des sciences*. 1808. p. 143.

l) *Trommsdorff's Journal*.

mus operatur tota ipsa substantia, potius inquirent, consultius agere nobis videntur.

Verum enim vero tametsi non est inficiandum, artem medicam non nisi ab experientia repetere posse sua praecepta; in medicamentorum modo operandi dijudicando minime singulas partes constitutivas esse separandas, eisque singulis totius medicamenti vim omnem esse attribuendam, quum nemo non videat, rem ab ipsâ naturâ genitam, in suâ integritate adhibitam omnino aliter operari, ac singulae ipsius partes constitutivae, seorsim adhibitae, possint: non tamen tum chemicum, tum dynamicum medicamentorum in organismum operandi modum omnino negare licet. Quis, quaeso, medicorum dubitabit, quin Kali carbonicum, seu magnesia, aduersus dyspepsiam adhibita, ventriculo acrimoniâ vexato, circa acrimoniam istam, operetur tanquam chemicæ artis aemula? — Medicamentorum vis in organismum exserta, est tum chemicæ, tum dynamicæ. *B. Reil* nuperrime defunctus adeo persuasum habebat, medicamentorum operationem extremam semper esse eam, quâ veluti secundum leges chemicas, morbosam materiae animalis et formam et consociationem corri-

gant m). Processus chemicus organismi vitali vi est quidem inferior, sed quanto magis vires illae, quibus organismi pars, quaecumque fuerit, est praedita, vel labuntur, vel ipsae sunt tenuiores, tanto fortior chemicae operationis vis est, in eandem exserta. Quam ipsam ob causam stimuli chemici in organismi humores perinde atque in dentes, ungues, crines vis est maxima.

Hinc non est, quod quis neget, grauem tibi obfundi errorem, analysin chemicam hac in re parui cum feceris, quo, id quod saepissime quidem licuerit, quid virtutis medicae subsit medicamento composito, vel non monstrante experientia, adsequare ratiociniis.

Probari sine negotio potuerit, ea, quae in examinandis medicamentis detexerint chemiae cultores, a medicis deinde adhibita, spem autem eorum fefellerint, vel in ipsos adeo errores induxerint, haud curate satis fuisse ponderata et cum animo reputata, nec, sicuti oportebat, adhibita. Fidem facit exemplum supra laudatum: *Derosnius* principii illius crystallini ab ipso detecti vim opii ipsius narcoticam su-

m) Erkenntnis und Kur der Fieber, Tom. I. (Halae 1797.) §. 15. p. 19.

apicabatur solummodo, non quidem firmissime adseuerabat, suspicioni potius, eam pariter et substantiae unguinosae, oleosae grauiterque olentis esse posse, loco relicto, sicut jamjam *Hoffmannus* et *Neumannus* monuerant. Docet praeterea *Derosnius*, principium illud narcoticum crystallinum in aqua esse insolubile, nec omnino, nisi vel in spiritu vini vel, et potissimum quidem, in acidis, ut in aceto, etc. solui. Nihilo secius tamen solam adhibebant principii crystallini substantiam, utpote quae, in corporis animantis humoribus fere insolubilis, non expers esse non poterat insignis, cui spe atque animo incubauerant, effectus; nec tantum operari, quantum opium solet ipsum, ut cuius non nisi minima pars principio hocce crystallino constituatur. Hinc factum est, id quod fieri plerumque solebat, ut iis, quae medicaminibus examinandis detexissent chemiae cultores, nimis leuiter ponderatis, et solitaria parte quacunque constitutiva adhibita (licet solummodo *consociata cum ceteris* vi sua polere possit!) fallerentur atque inducerentur in errores; qua quidem re facile efficitur, ut commoda, quae praebere medicaminum analysis chemica profecto potest, insignia omni-

que dubitatione superiora in dubium vocanda esse videantur. Nemo quidem inficias ibit, complurium medicamentorum analysin chemicam haud ita fuisse institutam, ut, inde quae prodirent, studium medicum possent adjuuare. Minoris nonnunquam momenti est, partes medicamentorum constitutivas singularumque quantitatem nosse medicum, quam non ignorare, quae partium constitutivarum sit tum quantitas, tum qualitas, cui extractionis medium quodcumque (ut aqua, spiritus vini etc.) et sub formarum quidem varietate, conueniat. Quam rem, quantumuis grauissimam, in complurium medicamentorum analysi, heu! aut omnino videas neglectum, aut non, sicuti oportebat, commemoratum. — Hinc non edocetur medicus, an partium constitutivarum siue solubilitas, siue insolubilitas per aquam, aut spiritum vini, Chemico quidem probata tum quoque sibi constet, cum partium constitutivarum quaecumque alia fuerit consociata. At hac ipsâ tamen re solâ cognitâ intelligere licet medico causam, ob quam medicamenti cuiusdam pars constitutiva quaecumque proxima, cum aliis in quodam fluido soluta, majorem minoremve vim in organismum exserat.

Ad recentiores analyses chemicas quod attinet, habet sane medicus, quod optet, ut partium constitutivarum proprietates chemicæ, cum aliis medicamentorum principiis tum olim, tum nuperrime detectis, sedulo comparentur. Quibus rite comparatis, ea, quae ex studio chemico - analytico pendent et quae inde didicerit medicus (ut qui illis indagandis ac reperiendis rarius par esse solet!) quam maxime conducunt. Tunc demum, quam medicamento arte chemicâ examinato largiatur vim medicam principium a Chemico repertum, tum extractiuum, tum resinosum, tum oleosum etc. intelligere licet medico, aut, cum vis illa in morbis curandis nondum satis fuerit indagata, analogiam sequuto, conjecturam inde capere, quando quâve ratione illa denique explorari possit.

Habes sane, quod spem foueas, fore, ut chemiae studium, cui medicina tam eximias jamnunc debet institutiones, tam praeclara praecepta n), insequuturo tempore voti supra

n) *Kapf's* systemat. Darstellung der, durch die neuere Chemie, in der Heilkunde bewirkten Veränderungen und Verbesserungen. Curiae Variscorum. 1815. *Pfaff's* System der Materia medica nach chemischen Principien. Tom. I—IV. Lips. 1803—1815.

nuncupati compotes nos faciat, nobisque allarum praeterea vegetabilium indigenarum, copiose prouenientium, vi qualicumque medicâ, adhuc ignoratâ, praeditarum usûs cognoscendi occasionem praebat.

Quibus praemonitis ad ea tradenda jam progredior, quae artis medicae commoda spectantia, in *Lepidio ruderali* arte chemicâ examinato detecta sunt, et quae quidem solius *Giesii*, Chemiae in hac literarum uniuersitate caesareâ Professoris P. O. viri Perillustris ac Doctissimi, studiis ac beneuolentiae me debere, ingenue profiteor.

II. De *Lepidii ruderalis palmariis* partibus constitutiuis proximis eorumque effectiu.

I.

Centum partes *Lepidii ruderalis* leniter siccatae iteratâ extractione calidâ cum Alcohole (0,849 pond. spec.) partium XXV fere jacturam faciunt. Prima extractio calida cum Alcoholis duodecuplici quantitate facta, viridis ejusdemque eximii coloris est, magis pallescens

tis secundum; in tertio denique viror ad flauedinem vergens fere euanescere visus.

2.

Tincturae singulae commistae et distillationis ope ad aliquot uncias usque abstractae materiam praebent unguinosam colore virescenti-nigro ac forti odore praeditam praecipitatum. Quâ percolando separatâ, fluidoque ulterius euaporato, viridis materiei, et guttarum quidem olei aliquam speciem referentium fusci, ad flauedinem vergentis coloris exigua copia, quam quidem illius (priori loco laudatae) varietatem dixeris. — Illa praebet ex centum partibus supra suppositis quincuncem; haec, eademque fluidior, partem unam. Exigua inde superstes fluidi flauî ad fuscum vergentis atque olentis copia, inspissata, extracti flauî ad fuscum vergentis, ad fabae Toncae odorem accedentis et eximio, parum acri et subamaro, sapore praediti partes quindecim explet.

3.

Extractum exhibet id principii extractiui genus, quod saponaceum dicere possis. Ex

grato illius adore suspicari licet, subesse principium oleoso-aethereum, quod, suadentibus certis quibusdam rationibus, materiae oleosae, in experimento 2do secretae videtur esse varietas, Alkohole reagente genita. Tantum enim abest, ut extractum Lepidii aquae ope prodrens fabam Toncam redoleat, ut potius herbae ipsius odorem spiret.

4.

Ex centum Lepidii ruderalis partibus Alkohole adhibito extractis circiter LXXV restant, coloris expertes, duroque tactu. Quae in aqua diu iteratisque vicibus discoctae praeterea fere XX partium jacturam faciunt, et primam quidem vice discoctarum, tunc parum mucilaginosarum, color flavedini pallidiori proximus. Decoctae, deinde percolatae, euaporationi denique et inspissationi relictas extractum exhibent coloris flavescentis ad fulvum vergentis.

5.

Extractum aquosum herbae cum Alkohole ante extractae, vel cum Alkohole digestum grati fabarum Toncarum odoris est,

vel ad hunc proxime saltem accedit. Cum Alkohole digestum in duas separatur partes, quarum altera, tanquam principium extractivum saponaceum prodit, altera in blocos ex cano albicantes, quae, in aere exsiccatae, in massam fuscam transeunt, excernitur, principii extractivi gummosi caractere insignis p). Cujus quidem pondus fere decem partes aequat. Adfinitate, qua principium extractivum saponaceum est conjunctum, efficitur, ut hoc, operatione prima per Alcohol facta, non omnino solvatur, sed pars aliqua remaneat. Ob reactionem soluti principii extractivi gummosi ex Lepidio, in solutionem ferri muriatici (Muriatis ferrici) directam, veluti singularis speciei loco ponere forsitan libuerit, quod quidem liceret, nisi admistione materiae heterogeneae quacunque constare videretur.

6.

Principium Lepidii ruderalis extractivum utrumque insigne sapore eximio, aegre defi-

p) Vid. supra laudati Perill. *Giese Chemie der Pflanzen und Thierkörper*. p. 151.

niendo, eoque vix ac ne vix quidem subamaro, paullulumque acri. Quae quidem acredo pariter ex materie oléosâ, neutiquam inde disjungendâ, et salibus, quae subsint, quibuscunque, forsassis Kali phosphorico et acetico deriuare licet. Ceterum materia illa extractiua gummosa, in aquâ soluta, loco quieto seposita, aliam praeterea, sed minutam, substantiam sibi admistam praecipitat, Helenino similem.

7.

Heleninum, siue Inulinum, tanquam substantia Amylo similis, cujus vim, in organismo exseri solitam si spectes, materies indifferens aestimari potuerit. Neque amborum Lepidii principiorum extractiuorum, tanquam partium constitutiuarum earundemque palmariarum, supra commemoratarum vires medicae, ex sapore quidem si iudicare licet, insignis efficaciae esse videntur. Aliter omnino sentiendum de materiâ illâ unguinosâ, simili balsamo, ad quam depingendam jam nos accingamus:

8.

Materia illa subuiridis, similisque balsamo, *resinoso-ceracea* dici solita a Chemicis, a Perill. *Giesio*, nostrate q), exactius, quam a ceteris descripta ac delineata reperitur diversimode variata in plantis, maxime in faeculis succorum viridibus, in quibusdam, ut in plantis narcoticis, efficacissimam constituit partem. Ejusdem virtutis est in Lepidio ruderali, unde, modo, supra (No. 2.) commemorato, excreta, oleum e balaenis excoctum, vel, si malis, alécem eximie redolet. Nec minus insignis saporis est. Resinae terebinthinae diu permanentem, fricantem acremque omnino imitatur saporem, ita ut pronus fueris ad suspicandum, vim utriusque medicam fore simillimam. Fidem faciunt medicorum experimenta, de quibus mox dicendum nobis erit, simulac alius partis constitutiuae, haud minus in efficacibus numerandâe facta fuerit mentio; sulphuris nimirum ad hunc usque diem non nisi in paucissimis plantis et in exigua quidem

q) Vid. *Giesii* et *Grindelii* Russisches Jahrbuch für die Chemie u. Pharmac. 1809. p. 10 sqq.

copiâ detecti, eo, quod apalyseos modus, quem ad sulphur separandum sequuntur minime est idoneus.

9.

Sulphur in Lepidio repertum, extracto, eoque in aquâ soluto, seposito, ejusque mutationibus ac vicissitudinibus, quibus obnoxium erat, obseruatis. Tegmine, cutis ad instar, et coloris quidem ex fusco flauo, erat obductum; cui sublato mox nouum successit, simul molestissimus odor diffusus, hydrogenio sulphurato progenitus. Quâ putredine, quam dixeris, aliquo tempore post, imminutâ, superius tegmen diligentius lustratum, granulis albis, quae Kali sulphuricum recte dixeris, ubique sese exhibebat distinctum. Principium extractiuum gummosum, putredine absolutâ, fere non immutatum, (id, quod docente Perill. Giese, in libro supra laudato, in mucilaginosis ac gummosis substantiis omnino conspicere licet) merum Lepidii halans odorem. Quo diutius quieti dato, deinde euaporato, multae Kali sulphurici crystalli regulares erant genitae.

10.

Non euolutio hydrogenii sulphurati solum, in partibus Lepidii extractiuis putredine prodeuntibus, simul quam maxime conspicua sulphuris illi herbae admisti index est, sed (Perill. Giesio, auctore,) Kali sulphuricum etiam, secretionem, et tum, et post, prodiens; id quod non vere subesse, vel ante jam adfuisse, sed, putredine factâ, maximam saltem partem, demum generari, monet Vir Doctissimus. Futurum nimirum esset, ut sal hocce solutionis difficilis, ex solutionibus, syrupi aemulis, diutius quieti traditis, aliquam saltem partem, secerneretur: sed ante putredinem factam, nulla omnino salis secretio. Ergo sulphur plantae insitum, per oxygenii atmosphaerici et aquae reactionem, in acidum sulphuricum mutetur necesse est, quod deinde cum Kali, tum insidente, tum acidis debilioribus juncto ineat unionem.

II.

Sulphur Lepidio innatum, quodcumque chemicum illius fuerit conjugium, efficaciam

plantae medicam adauget, quam pars constitutiua illa, resinam terebinthinam sapiens, cutis secretiones adjuuans, mirum exhibet in modum. Quam quidem partem, vim Lepidii medicam si spectes, tanquam efficaciorẽ jam supra depinximus, suspicati, resinæ terebinthinæ haud fore absimilem. Et re verà, ad instar resinæ modo laudatæ, vis est diureticiæ, partes organicas regenerandas adjuuat, vel suppurationem maturans, vel corrigens deterioreẽ. Et modo quidem, quo corpori animanti vim præstat suam, antecellit sane resinæ terebinthinæ. Materia enim, resinoso-ceraceam quam dicunt, sicuti in usûs medicos præparari scite solet, principii extractiui gummosi ac saponacei beneficio, eam subiit permixtionem, quâ, solitariae materie vis vehementior cum reputanda fuerit, hæc quidem, sicuti oportebat, imminuitur. Nec eundem fuerit inficias, principium gummosum ac saponaceum præterea quoque partibus constitutiuis adnumerandum esse longe efficacissimis.

12.

Materia, Lepidio quæ subest, subviridis, bene olens superius, magis oleosæ indolis, tenuio-

ris odoris et ex flauescente-fusci coloris, hac in plantâ, principii extractiui ope, in fluido aquoso magis solubilem se præstat, sicut secretio illa posterior supra (No. 2.) commemorata, docet. Insuper fere non inuenitur, nisi in herbarum decoctionibus et extractis aquosis, cum quibus non communicat acrem istum olei ex balaenis excocci odorem, quo insignis est substantia viridis unguinosa, sed herbarum ipsius simillimum. Extractionum Alcoholis usu obtentorum supra (No. 3.) commemoratarum alia est ratio, quarum ad extractorum spissitudinem adductarum fere fabarum Toncæ gratus odor est.

13.

Materiae resinoso-ceraceæ, quam dicere collibuit, tenuissima quoque copia et indolis quidem quam maxime immutatæ inhaeret Lepidio, tanquam oleum æthereum facilis solutionis in aqua; ei oleorum æthereorum generi adnumeranda, quæ Perill. Giesiorum æthereæ hydrothionata audiunt, generi principii acris adscripta.

r) Chemie der Pflanzen- und Thierkörper. p. 405. 439.

Aquâ enim destillatâ super herbae satis largâ copiâ, oleum aetherum visibile inde non obtines; verum aqua destillata acrioris odoris est, maxime cum diutius fuerit seposita. Constat enim, aquas destillatas tunc omnino purioris atque apertioris esse solere odoris. Odor ille, aquae cochlear: destillatae haud omnino absimilis, docet, oleum aethereum Lepidio parce inhaerens cochleariae oleum aethereum referre halitu. Cochleariae autem vim medicam in olei sibi insidentis tenui copiâ potissimum sitam esse et plantam, recentem, antiscorbuticis adnumerari, constat inter medicos. In eundem census venit Lepidium, usu probatum. Cochlearia arefacta vi omni destituitur, oleo acri maximeque volatili tum perditio: Eandem olei acris Lepidio parce inhaerentis facit jacturam, planta siccata, odoris vi simul immixta. Non tamen, cochleariae ad instar, omni priuabitur virtute, efficaciam omni, sed aliquâ tantummodo, nec nisi minimâ, parte; quum materia resinoso - ceracea non volatilis, cujus quantitas ipsi insidens multo gran-

dior est, a Perill. Giesio mera olei varietas habita, insignis efficaciae non esse non possit. Ceterum, herbâ admodum arefactâ diutiusque aëri expositâ, materiam illam iri immutatum atque efficacitatis aliqua parte priuatum, non quidem fuerit inficiandum.

Iis, quae ex Lepidii examine arte chemicâ instituto detecta sunt, nobiscum communicatis, ad penitiorum partium ejus constitutarum peritiam ecce nos adductos! et quae ex iis summae maximeque insignis sint efficacitatis, ita nobis innotuerunt, ut virium medicarum, generalium quidem, pretium statuere liceat.

Sed institutiones illas, circa Lepidium, chemicas, supra traditas si esse velis amplissimi usus, (cujus Chemicorum esse solent ac debent in ceteris) aliud praeterea commodum ad nos inde redundet necesse est; edocendos, quibus sub formis vires medicas praestare possit eminentiores. Quâ de re paucula jamjam subaddere liceat.

III. De *Lepidii ruderalis* praeparatis pharmaceuticis.

Complures substantiae organicae vi medicâ pollentes, medicaminibusque adnumeratae, fere omni carere possunt praeparatione (nisi quod in puluerem quaedam sint convertendae); vi maximâ insignes crudeae cum adhibeantur simpliciter. Sed *Lepidii ruderalis* alia est ratio, — ut cujus, arefacti, et in puluerem conuersi usus parum sane conduceret. *Lepidii* folia parua et pauca; caules fibrosi fere omnem constituunt plantam. Cuius exilis copia, in puluerem conuersa, in amplum excrescit aceruum, ore qui capitur parum idoneus, massam praeterea exhibens lignosam, cujus vis medica, aegre extrahenda, injuriam adlatura esset ventriculo. Sed alia praeterea ratio dissuadet *Lepidii* in puluerem conuersi usum. Quum enim arefacienda tum esset herba, pars ejus constitutiva palmaria, saltem efficacissima, indolis immutatione quâdam, cui tum solet esse obnoxia, vi, quâ alioquin pollet, eximiâ, de-

stituitur. Unde discas, herbam laudatam, adseruaturum ad futuros usûs, recentem florescentemque collectam, leniter arefactam, in minutissimas partes dissectam, in ampullâ vitreâ bene obturatâ esse adseruandam.

In *Lepidii* praeparatis ad usûs medicos aptissimis sunt: Decoctum et Extractum aquoso-spirituosum, vel Extractum gummoso-resinosum.

Quorum qualis sit praeparandi modus, quae partium constitutiuarum qualitas, jam docendum:

„Decoctum herbae *Lepidii ruderalis*.

„℞. Herbae *Lepidii ruderalis* minutim concisae Unciam unam.

„Coq. c. aquâe fontanae Unciis sedecim ad remanent. Unc. octo,

„Cola per linteum.

Quod decoctum idque euaporatum ℥j diluti extracti exhibet, coloris fusco-flaui, eximii quidem, haud ingrati odoris, saporis subacris, unde, Alcohole adhibito principii extractiui gummosi $\frac{3}{\beta}$ prodit et unde Alcohol principii extract. saponacei quantitatem

aliquantulo majorem soluit. Ceterum et Decoctum et inde prodiens Extractum continet materiae resinoso - ceraceae aliquam partem, unde utriusque pendet odor. Continet deinde et sulphur, quocumque fuerit modo consociatum; salium denique, unâ cum Helenio, vestigia.

„Extracti aquoso - spirituosi praeparatio:

Rx. „Herb. Lepid. ruder. minutim concisae partem unam,

„Aquaе communis partes octo;

„Spir. vini rectificati partes quatuor

„Digerantur calide in vase vitreo clauso,
 „per quadraginta octo horas. Liquor, refrigeratus, per linteum coletur et ex liquore
 „colato spiritus vini destillando eliciatur.
 „Residuum aquosum in lebete stanneo, balneo aquae imposito, ad Extracti spissitudinem euaporetur.“

Quod extractum hoc modo factum efficacioris substantiae resin: ceraceae majorem exhibet copiam, quam quod praeparatur aquâ. Illam vere adesse substantiam, apertissime patebit, cuitunque Extractum cum Alcohole

depsere libuerit, tincturam fusco - flauam inde prodientem aquâ permiscenti. Lactea tum fit tinctura; praecipitatio nulla; (quâ quidem in re materiae resinoso - ceraceae, quam dicunt, et veri nominis resinae discrimen situm) odor, oleum e balaenis excoctum ipsum halitu referens.

Quod ipsum Extractum Lepidii ruderalis omnium fore efficacissimum, cuncta suadent. Cujus cum ceterorum praeparatorum usu comparatae quanta sit et qualis vis, docebit futurus usus.

Sectio quarta,

de vi medicâ Lepidii ruderalis.

Ex obseruatis cum medicorum antiquorum supra commemoratis, tum qualibuscunque meis, adparet, Lepidii ruderalis usu interno irritari, potissimum neruos abdominales, cum, sicut experientiâ equidem edoctum me esse memini, primae doses nauseam mouere, insequentibus autem conducere ac salutare esse soleant. Quâ neruorum abdominalium irritatione factâ, irritantur etiam, et primo quidem, nerui vasorum serosorum; stagnationes tolluntur. Irritatur deinde Systema neruorum omne, maxime quidem nerui vasorum partiumque contractilium. ergo etiam vasa exhalantia cutis, pulmonum organorumque urinariorum, Quae virtutes omnes ex volatili acrique ipsius materie partibusque constitutiuis, principium extractiuum, referentibus, iisque resinosis, aethereis, sulphureosis pendet. Hinc incidens antiscorbuticum, diureticum, pectorale et lene diaphoreticum haud inepte olim creditum. Perillustri Kautzmanno iudice et

lene narcoticum est. Fidem facere videtur analysis No. 8. notata.

Principium acre, vi vehementius irritandi, abnormi cuicunque cohaesionis processui, quem dicunt, tollendo maxime idoneum. Irrijus effectus conflictu partes constitutivae mucilaginosae principiumque extractiuum referentes, materiae resinoso-ceraceae partiumque aetherearum beneficio reproductionem augere, secretiones abnormes corrigere et principiorum corruptorum et noxiorum egestionem adiuuare mihi quidem videntur.

Qualis autem illius chemica sit actio in fluida exseri solita, determinare ecquidem non ausim, cum habeas, quod nosologiam chemicam a nostris traditam hodieque nimis mancam dicas omninoque imperfectam *).

Medicamentorum, praeter insignem principii extractiui copiam, principio quodam acrisimul praedictorum effectibus diligentius penitusque examinatis, eorum operatio duorum

*) Vid. *Fluidorum corporis animalis chemiae nosologicae specimen*, auctore C. H. T. Schreger. Erlangae 1800. p. 8 — 16. et: *Chemische Tabellen des Thierreichs*, von J. F. John. Berolini 1814. p. 31. 43.

eorundemque diuersorum momentorum esse videtur. Momento operationis principii volatilis nimirum peracto, partium constitutiuarum principium extractiuum referentium effectus demum sese exserit. Qui operandi modus perinde et Lepidii ruderalis esse putandus, unde cognoscere licet, quam insignis sit illius efficacia.

I. in *Scorbuto* curando; reproductione et cohaesione formarum organicarum tunc, si cuti constat inter medicos, mirum in modum abnormi; accedente insuper neruorum abdominalium et finium vasorum debilitate, stagnatione, et pituita copiosius generata.

Lepidium ruderale tunc eandem vim medicam exserit, quae celebratur in ceteris Crisonii generibus post medicorum memoriam in scorbuto sanando adhibitis.

Lepidii oleracei fauste adhibiti et recentissimae quidem aetatis exemplum memoratu dignissimum *Bertelius* *), Forstero auctore, commemorat:

Homo quidam nauticus scorbuto miserime laborans, eamque ob causam in insula

*) Vid. *Bertels* Handbuch einer dynamischen Arzneimittellehrs. Landshut. 1805. p. 401.

maris australis expositus, quum magis prostratarum virium esset, quam ut *Lepidium oleraceum* manu carpere sibi liceret, dentibus deorsit, eoque modo breui tempore conualuit.

Lepidio ruderali usus, hoc praescribam Decoctum:

℞. Herbae Lepidii ruderalis ℥j

Incoq. in vase bene clauso cum aqua simpl. ℥xvj, ad remanent. ℥vjij.

Col. S. Horis alternis cochlearium majus unum capiendum.

Quandoque pro re nata Tincturam aromaticam vel subaddendam et commiscendam, vel, ante cibum captum, seorsim adsumendam suasi.

II. In *catarrhis chronicis, tussi*, quin ipsa etiam *conuulsiva*. Lentam pituitam dexterrime soluit; organorum adfectorum debilitatem torpidam tollit; istorum morborum crisin accelerat; quum vis ejus in neruos abdominales et pulmones se exserens et in cutis transpiratione et urinae secretionem promouenda sit eximia. Praescribere tunc solebam Decoctum modo laudatum, Syrupum Seneg: admisto.

III. In *hydrope anasarca et abdominis*. — In duobus quidem aegrotis decoctum illud

faustissime adhibitum. In utroque, anasarca laborante simul hydrops abdominis generari coepta.

Decocti commemorati his in morbis, pro constitutione aegroti, Doses tantae adhibendae, quantae ad nauseam leuem mouendam sufficiant, ut ventriculi et canalis intestinorum actiuitate imminuta, systematis lymphatici et vasorum exhalantium cutis pulmonumque, ex antagonismi lege, adaugeatur. Hinc hisce in morbis decocti illius additamenta stomachalia quaecunque, haud raro tanquam corrigentia, intempestiue subjungi solita, rejicienda. Eadem circa diaetam ratio habenda.

Lepidium ruderale hoc modo adhibitum in ipsa hydrope pectoris efficax fore crediderim. Quae quidem medendi methodus non absque aliquâ circumspectione est adhibenda. Cauendum deinde, ne nimium infirmentur primae viae.

IV. In impetiginibus aliisque morbis cutaneis, scabie et scrophulis Decocti usus et internus et, ad lauandum, externus, commendabilis. Ad lauandum, aut frigido, aut tepido, mane vespereque usus sum.

Tunc systematis lymphatici irritandi vim exserit, lympham corruptam corrigens et materiarum corruptarum egestionem adiuuans. Initio quidem, id quod et cetera remedia similia efficere videas, eruptiones cutis nonnunquam tunc augescunt, deinde vero sensim euanescent.

V. In ulceribus inueteratis extremitatum inferiorum scrophulosis et scorbuticis curandis Decocti usus tam internus, quam externus, compressis tepide humectatis, horis vel alternis, vel tertia quaque, adhibitis, efficax deprehensus, suppuratione correctâ, granulatione adauctâ. Sed ne justo calidiora sunt fomenta, neque usus nimis diutinus, ad carnem luxuriantem arcendam! Quae sicubi generata fuerat, ad lapidis infernalis usum erat mihi confugiendum, cujus quidem alia in ulceribus sanandis forma, ut fomenti, vel unguenti, ab antiquioribus medicis jamjam commendata, forte aptior atque adcommodatior.

Ceterum nonnunquam, pro re natâ, et alia remedia adhibenda. Perillustris Kautzmannus et in scirrhis, ulceribus cancris et dysuriâ curandis eo usus est fausto successu,

VI. In *rheumatismis* profligandis profue-
rat Decocti continuus usus. Sed desunt ob-
servata, eorum a me colligendorum opportu-
nitate deficiente.

Perill. *Kautzmannus*, medicus Rigensis,
Perill. *Deutschius* et Perill. *Balkius*, nostrates,
in nonnullis morborum formis modo a me
commemoratis, Lepidio ruderali usi sunt suc-
cessu prosperrimo.

T H E S E S.

I.

Ab integritate secretionum pendet integritas sanitatis.

II.

Studium anatomiae non solum medico, sed etiam aliis, inprimis Jurisconsulto, multum prodest.

III.

Simplicium medicamentorum usus certior, quam compositorum.

IV.

In haemorrhagiis coercendis agaricus et compressiones anteponendae sunt ligaturae.

V.

Exstirpationem scirrhi medicamentis contra hoc malum laudatis praefero.

VI.

Signa grauiditatis sunt dubia.

VII.

Solutio placentae statim post partum non, nisi urgente necessitate, instituenda.

VIII.

In morbis neruorum semper adest materia.

IX.

Nec variolae ex Africâ, nec syphilis ex Americâ ortum duxisse videntur.

X.

Hydrops non semper est morbus asthenicus.

XI.

In sphaecelo a causâ internâ instrumenta chirurgica non sunt adhibenda.

XII.

Compiler bonus hypothesium inuentori praeferendus.